

cessisse suas facultates cum nullum factum narret ex quo talis excessus colligi potest, sed tacite uidentur reuocatæ sententiæ si quæ sint per quas Archipresbiter declarauerit presbiteros, pretextu schismatis, rebellionis et inobedientiæ, facultates ipsis concessas a sede Ap'lica et superioribus amisisse, nam Papa declarat eos has facultates nunquam amisisse. Et hac declaratione papæ tolluntur omnia si quæ fuerunt facta contra presbiteros prætextu inobedientiæ etc. et tollitur ei facultas in posterum.

Ad 4<sup>m</sup>. Illa particula prætensi arguit summum Pontificem non habere pro uero prætextum illum Archipresbiteri declarantis presbiteros schismaticos, rebelles et inobedientes; quin imo clare uidetur approbasse appellationem per eos interpositam ad s. sedem.

Ad 5<sup>m</sup>. De hac re non potest dari certum responsum, cum pendeat a lectione librorum; ideo diligenter cauendum est a tali scriptiõne quæ possit noua parere dissidia aut uetera renouare, et satis consulto remedio huic malo obuiam itum uidetur, ex q<sup>o</sup> huiusmodi libri in publicum edi non possunt nisi prius obtenta protectoris licentia.

Ad sextum. Ex publicatione processus huius negocij nihil boni consequi possunt presbiteri, et omnem occasionem contentionum amputare debent, silentio et oblivioni præterita tradentes: et hoc cadet sub prohibitione proxime deducta, quamuis uerbo tenus non prohibeantur exponere suis symmistis quæ in Curia gesta sunt.

*Endorsed (apparently by the same hand in which similar notes are made in the copy of the "Breuis relatio"):*

Aduis de Monsieur Seraphin sur les doubttes proposés sur le bref du pape

16. *Draft of Rules for an Union among the Secular Priests after the return of the Appellants from Rome.* 54, f. 229.

Cum nihil magis quam pacis et fraternitatis mutuæ inter Catholicos stabilitatem fideique Catholicæ propagationem desideremus, idque a S<sup>mo</sup> D. N. Cle: 8<sup>o</sup> in mandatis habuimus, tam

vivæ vocis oraculo quam litterarum apostolicarum testimonio, omni nostro conatu effectum dare, cœpimus cogitare et inter nos fratresque nostros serio capita conferre quomodo inimici hominis zizania omnia ex agro diu radicitus evulsa eijceremus omnemque illi aditum imposterum in vineam Anglicanam præcluderemus.

Compertum est itaque, post varios hac de re habitos sermones, communem quasi pestem et pernitiem totius inter catholicos (præcipue vero sacerdotes) pacis et perfectæ charitatis fuisse [vel fraternæ famæ tuendæ negligentiam vel] \* horrendum illud detractio- nis vitium, cuius ministerio tecte et pedetentim accensæ quædam aversionum scintillæ in maxima proruperunt animositatum, calum- niarum, inimicitiarum et dissidiorum incendia. [alterum vero charitatis mutux quoddam quasi deliquium cum omnes quæ sua sunt quærentes proximorum angustias non respiciunt]. Ne penitus itaque sic tam horrendo et stupendo incendio conflagrarent omnia, nihil sanctius aut saluti animarum salubrius esse duximus quam nos fratresque nostros omnes quibus placuerit libere in album nos- trum admitti regulis quibusdam et limitibus certioribus coercere, ne in huiusmodi imposterum incidant detractio- num præcipitia omniaque illa quæ ex hoc fonte dimanant vitia, per contraria virtutum exercitia extirpent [unaque hortari excitare et devincere ad frequentiora et ferventiora charitatis officia]. Itaque profitemur, et in verbo sacerdotum sanctissime in nos suscipimus quantum possumus et humana patietur fragilitas, regulis infrascriptis nos subijcere easque religiosissime observare [durante præsentis in Anglia persecutione, nisi aliter a superioribus nostris visum fuerit].

Regula i.

Vt qui in societatem istam admittantur detractio- nes omnes rumores et susurros, quibus catholici alicuius fama præcipue sacer- dotis violari possit, reprimant et reprehendant, sive hoc verbo sive scripto fiat, neque patiatür aliquem (quantum in se) infamem fieri nisi post habitas fraternas et in charitate debitas correctiones, nisi scandalum fuerit publicum et persona incorrigibilis.

\* The passages here placed within square brackets are additions interlined, but in the same hand as the rest of the text.

Vt semper aliquid præmeditatum habeant quod vbi occasio ferat sive in concionibus sive in privato sermone vtantur ad vitium istud e catholicorum animis et ædibus extirpandum. Re. 2<sup>a</sup>. 54, f. 229b.

Vt qui ex hac societate sunt candide omnia et charitative interpretent, [ea] præcipue vero quæ a confratribus suis dicta, facta, sive scripta sint, eosque eorumque famam et æstimationem tueantur et defendant quoad iustitia, charitas et particularis hæc inter nos vnio et communio requirant, eosque moneant si qui de ijs sparguntur clamores quibus eorum fama violari poterit vt aut se purgent aut corrigant, autores etiam istiusmodi rumorum proferant si fuerit publicè, aut si qui retulit eos esse veros asseveraverat. R<sup>e</sup> 3<sup>a</sup>.

Vt parati sint quoad poterunt catholicorum in carceribus detentis necessitatibus tam temporalibus quam spiritualibus subvenire, aut aliter oppressos et afflictos visitare et adiuuare, præcipue vero eos qui societatem istam sunt amplexati, sacerdotes vero ope et hospitio destitutos fovere ijsque quoad poterunt providere. Reg. 4<sup>a</sup>.

Vt tam ope quam opera, auxilio, consilio et autoritate concurrant ad tales causas omnes promovendas et prosequenda quæ [ad viros ecclesiasticos spectant] a tota ista societate vel maiori parte tractari, proponi, aut prosequi iudicabitur opportunum [re prius cum singulis communicata]. Reg. 5<sup>a</sup>.

Si inter fratres societatis huius lis aliqua aut contentio oriatur, vt electis ex ipsa societate arbitris eorum se iudicio et determinationi subijciant. Reg. 6<sup>a</sup>.

Vt pro defuncto fratre singuli sacerdotes singula celebrent sacra : et pro benefactoribus nostris bonoque huius societatis singulisque confratribus, præcipue autem ijs qui in carceribus sunt aut periculo mortis aut pro causa communi laborant peculiari aliqua devotione singulis diebus vtantur. Reg. 7<sup>a</sup>.

Ne se rebus politicis villo modo misceant quibus vlla offensio, suspitio aut preiudicium Regni et rerum statui temporali possit exoriri, vt quæ pro religione patimur omni sint calumnia liberrima. Reg. 8<sup>a</sup>.

Item societatis huius secreta aut alia quæcumque negotia mihi Reg. 9<sup>a</sup>.

sub secreti cautione commissa nemini revelabo sine consensu fratrum meorum aut eius qui mihi idipsum commisit.

Reg. 10<sup>a</sup>.

54, f. 230.

Teneantur omnes præteritarum iniuriarum, offensionum et similitatum memoriam omnem sepelire, et si quem ex confratribus suis ante initam istam societatem verbo vel scripto iniuste perstrinxerit, teneatur quantum fieri poterit famæ eius dispendium resarcire.

*Endorsements (in different hands):*

1. Regulæ quibus sacerdotes parati erant se submittere.
2. Vnio facienda inter sacerdotes Ap: in Anglia post reditum ab Vrbe.

38, f. 384.

17. *Anonymous letter of intelligence.*

Jhūs Maria.

I comend vnto y<sup>r</sup> w<sup>p</sup> this is all that the party told to me as it folowed, first he told to me that the controuersy betwyxt y<sup>m</sup> and the Jesuits in y<sup>r</sup> on nam was generally told in Room and then y<sup>t</sup> on coleg cam to be on aganst another, and ffather Parson dyd put the matter in practys be his polycy that the Jesuitis shold haw superiority in England, and all the Jesuits in Room and about Room touk his part, after the cam befor all the cardinals and the poop is holynis the haw found that they wer but of the orders aund no superiority to be gewen to them but ther on superiority amongst themself, and that the secular church most be abow all orders and so it was concluded as he dyd tell to me. Vale Am . . .

{ Ro [?]  
Px

*Endorsed (in another hand):*

How Parsons wold have the Jesuites to be chief in England: but the pope holdeth that the secular priests shall have the preeminence.